3

Scl. 1

DE
TEXTU CELLULOSO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU MAGNIFICI DOMINI RECTORIS, PERILLUSTRIS FACULTATIS P. DIRECTORIS, SPECTABILIS DECANI NEC NON CL. D. D. PROFESSORUM

AUSPICE

D.re JO. BAPT. LAURIN.

PROF. ORD., VETER. AC PATHOL. ET PHARMACOL. SUPPL.

UNA CUM ADNEXIS THESIBUS DEFENDENDIS PUBLICAE DISQUISITIONI OFFEREBAT IN C. R. ARCHIGYMNASIO TICINENSI MENSE DECEMBRIS AN. MDCCCXXXIV. LAUREAM MEDICAM ASSECUTURUS

CONSTANTINUS CANELLA

VERONENSIS.

Chirurgiae Doctor et Artis Obstetric. Magister.



TICINI REGII.

Ex Typis Fusi et Socii



DE

TEXTU CELLULOSO

Quicumque ad maximum animadverterit momentum, quod humanum in organismum exercet systema textus cellularis nomine insignitum, meridiana clarius luce perspiciet, sedulam jure ac merito esse operam navandam inquirendae illius structurae et usui, quibus rite perspectis multiplices morborum intelligat formas, quae illud sane haud raro fatigant. Nec quis ex eo, quod per omnia membra diffusum inque omnibus illud cernat cadaveribus, facile tamen, quod pertractatur, esse argumentum sibi blandiatur; nobis, aliter se rem habere, suadent variae temporibus variis, et variis a praeclarissimis anatomicis de hoc prolatae

sententiae: natura scilicet vel iis in rebus, maxime quae sunt nobis in usu, magnam semet exhibere suaque inquirentibus arcana aciem contendere gaudet.

Nos itaque de hoc argumento nonnulla, prout exiguae dederint vires, dicemus, illud anatomico, physiologico et pathologico sub aspectu intuentes.

Maxima anatomicos inter viget sententiarum discordia, quoad illius intimam corporei systematis structuram, quod textus cellularis nomine solet nuncupari. Nullam huic inquirendo operam dedere antiqui disciplinae nostrae cultores, idque unum satis habuere, novisse, systema hoc esse per omnia membra diffusum, nec ullum scindi posse cadaver, quin simul et illud patescat. Labentibus dein temporibus regiones ejus nonnullas adverterunt, easque variis ditavere nominibus; sic tunicam musculorum communem, sic descripserunt adiposam, vaginalem membranam Darton, sic illud demum cribrosi corporis nomine ab Hippocrate insignitum didicimus. *Charles-Etienne* parisina e facultate medicus, primus cellularia filamenta descripsit, quibus venae proximis adhaerent organis. *Vesalius* et *Columbus* varias eruere vaginas, quas textus cellularis musculis subgerit. Textu cellulari confectas esse membranas vidit primo *Ruischius*; *Monro* postea scroti pariter intermedium, quod testes dividit, cellulari textu constare plusve minusve compacto. Idem de arteriis *Lassone*, de nervis *Haller*, *Lieutaud* de cerebro, de interioribus *Albinus*; *Herissant* demum de ossibus censuere. Diversa porro ratione, qua fuit animadversus, factum est, ut diversis quoque nominibus insigniretur. Sic quemadmodum diximus, ab *Hippocrate* cribrosi corporis nomine donatum novimus; corporis porosi a *Stahl*, a *Mor-*

gagni mucosi nomine textus. *Haller* omnesque fere physiologi illud quasi quid totum censent fibris lamellisque elasticis constans, et forma discrepantibus, et volumine, mollibus, subalbis, inter se se connexis, tum spatia quaedam sinentibus multiformia, et ad invicem diversimode permeantia, quae cellulae dicuntur. *Bordeu*, *Wolf*, *Meckel* asserunt, nil aliud esse, nisi substantiam viscidam, tenacem, lamellis cellulisque carentem, et si istae inveniuntur, arti tribuendas esse potius quam naturae, autumant: *Mascagni* verbum vix addidit, albisque compositum vasis asserit. *Fontana* ex cylindris tortuosis, alii illud tamquam nervorum expansionem considerant. *Ruischius* vascularem poenitus textum illum esse contendit, et ingeniosis sane injectionibus lienis parenchyma osteudit esse vasorum aggregationem: dum vero *Heisterus* et *Rezia* glandem et cavernosam penis urethram injectaverunt, factum est, ut alii anatomici et alias tentaverint partes detecturi num vasis revera constarent. *Scarpa* inspiciebat ossa, et tenuissimo vasorum rete ea constituta cognovit, etiam in parte magis compacta ac perdura; (Vide *Scarpa* de penitiori ossium structura) porro *Panizza*, magnam animadvertens analogiam inter cavernosa penis et urethrae corpora, cum illud fuerit a *Rezia* injectum, horum quoque injectionem pertentare voluit, nec eum fefellit opinio, quoniam permirabilem obtinuit vasorum inter se se commeantium coacervationem. Horum organorum cum partibus aliis analogia docuit, esse eodem pacto constitutas clitoridem, mammarum papillas, plexum vaginalem et uterum, quae partes densitate suarum parietum, efficiunt quasdam cavitates inter se se com-

municantes, quaeque, dum prius cellularis textus lamellarum haberentur divaricationes, nunc sinus habentur vasculorum. Ulterius perscrutati et partibus dedere operam, quae primo intuitu nonnisi cellularis textus videntur; cujusmodi sunt membranae serosae, utpote peritoneum, pleurae etc., nec non sero-fibrosae utpote ligamenta etc. atque injectiones vasa omnino esse, meridiana luce clarius ostendere. Quo melius id confirmarent, physiologicis ac pathologicis sunt usi observationibus. At peritoneum vel unam e pleuris animadvertens in inflammationis processu, quis vasorum inficiabitur copiam? Et revera omnino rubescunt, ac nudo quoque lumine intuentibus sanguineorum vasorum minimae ac minutae patent ramificationes; idque magis, si vehemens inflammatio pseudomembranas parat, quae deinceps organicae fiunt. Oculi cornea, quae adeo se praebet pellucidam, ex inflammationis processu nebula obducitur, tuncque venosi varicosique fiunt fasciculi vasorum, ex albo oculi exurgentes.

» Conservo un occhio, dice *Scarpa*, preso dal cadavere d'un uomo affetto da cronica ottalmia varicosa con nuvoletta della cornea, il quale morì d'infiammazione di petto; ora avendone injetato il capo per le arterie, e per le vene, ho trovato che la cera di cui erano perfettamente bene empite le vene della congiuntiva aveva trovato un libero passaggio tanto nel fascetto più rilevato delle medesime vene, quanto *nelle* radici venose dello stesso fascetto serpeggianti *sulla* superficie della cornea nel luogo preciso ove esisteva la nuvoletta; mentre in tutto il restante della circonferenza della cornea, la cera injetata erasi ar-

restata, per avere incontrato in quel confine tra la cornea e la sclerotica un' insuperabile ostacolo. Ed è cosa meravigliosa il vedere in quest' occhio coll' ajuto della lente la sottilissima rete, che formano i copiosi rametti venosi nel limite della cornea colla sclerotica, ove elegantemente si anastomizzano insieme tutto all' intorno in mille modi e maniere, senza che alcuno di essi fuorchè di contro alla sede ove esisteva la nuvoletta sorpassi la linea di confine segnata dalla forte adesione che ivi prende la sottile lamina della congiuntiva ».

Plura alia hujusmodi facta ea quae hucusque diximus evidentissime confirmarent. Sed haec inter diligens nos juvet vulnerum cicatricum inspectio, in quibus sane ubicumque textus cellularis passus est detrimentum, ex ipsius vulneris immo ac parietibus sanguinea exurgunt vasa, globuli ita dicti carnei, qui affectam partem ad pristinum statum perducunt. Hic porro optime ad rem non conferre videtur quidquid in articulo *Cellulaire* Gallicum quoddam protulit Dictionarium de hujus textus instaurabilitate locutum.

« Les partisans de la vascularité absolue de nos organes l' attribuent á la vègètation des vaisseaux: d' autres, plus consequens n' y voient, qu' une facultè de s' accroitre, tout aussi peu ètonnante, quoi qu' aussi incomprehensible, que l' accroissement en generàl et la generation. Des qu' un nouveau tissu cellulaire c' est produit, il se developpe dans son interieur des vaisseaux, chez ceux des ètres organisès auxquel appartient ce mode particulier de translation et de distribution des liquides, tandis que chez les

autres la Regeneration se borne au tissu cellulaire lui-meme ».

Praeter pathologicas observationes et illas quas physiologia suppeditat, nos hac in sententia confirmant, nil aliud esse cellularem textum, quam vasculorum magis minusve tenuium, ac majoribus vel minoribus inter se se intervallis discretorum congeriem; tum vero efformatio cuticulae, tendinum, cartilaginum, ossiumque ex eo facile intelligitur, quod ex uteri aquarum, externi aeris musculorum externorum corporum, vasorum, aliarumque hujusmodi rerum pressione, tum glutinis, aut concrescibilis lymphae terreique principii accessione haec sensim vasa occludantur. Sic clara potest afferri ratio repentini ruboris, quo genae nunc tinguntur, sic etiam subiti palloris sub quo fere anserina constituitur cutis. Textus cellularis in animi affectionibus per nervorum influxum sua vi contractili concitata, sanguinem potest hinc illinc coagulare ac expellere. Novimus tandem secretiones omnes sanguineis vasis fieri; hinc quo pacto adipis serique fieri secretio poterit in cellulis hujus textus, si sanguinea deessent vasa? Ex quibus omnibus patet, cellularem textum, eoque constituta systemata sanguineorum esse vasorum aggregationem; quod si haec systemata physiologico in statu nudo intuenti oculo non offerunt haec vasa, id summae extremorum vasorum ipsorum diramationum tenuitati tribuendum est, quae vel simplici lymphae dant aditum vel huic et rubris globulis magno ab invicem intervallo secretis, quique in decursu nusquam geminantur. Nec sibi quis fingat, illud per se unum systema constituere; accedit enim lymphaticum et nervinum, in quo omnes con-

sentiunt anatomici: omnes enim lymphatica adesse vasa concedunt, ubicumque cellularis interest textus.

Et sane, seri collectiones protinus in cellulari textu evanescere cernimus, quod nullimode fieri posset, nisi per vasa lymphatica. Sub cute saepe fit sanguinis collectio ex contusione, quae deinde per vasa lymphatica evanescit sanguinem alibi efferentia. Idem prorsus de adipe quibusdam in circumstantiis evanescente valet. Quoad vero systema nervosum, num adsit textu in celluloso, res indubia est. Licet anatomicus nequaquam possit detegere ea nervosa filamenta, nemo tamen eorum praesentiam inficiabitur, qui ad organicam ejus sensibilitatem tantisper attendat, quae perceptiva fit pathologico in statu.

Textus cellularis pars est, quae prior in embrione formata adparet, idque et infimis in animantibus; liquidus porro in primis et copiosissimus minuitur, prouti organa evolvuntur, majoremque simul adipiscuntur soliditatem. In foetu mollissimus est et in musculorum intervallis fluitat; major adhuc in senibus soliditas ejus apparet, et provecta aetate fibrosus quasi evadit iis in partibus, in quibus tenuis fuerat puerili. Textus cellularis mollior et copiosior foeminae quam viro: *Blumenbach* hunc utpote humani

organismi cum caeteris animantibus collati characterem instituit, molliorem, teneriorem que textum cellularem quo omnes ejus motus melius expediuntur. Nec sine causa *Haller* asseruit, pleraque animalis corporis solida ad cellularem textum posse reduci.

Porro textus cellularis duas continuo in partes discretus solet animadverti; quarum una organis absoluti vacuitates horum tantum adimplet, altera relativa tantum est organis quae obducit, et quorum ad structuram concurrit. Hujuscemodi vero partes uno mentis criterio secernuntur; textus enim cellularis ubique est sibimetipsi continuus. Pars prior est cellularis textus exterior communis vel generalis, qui videlicet organa non permeat: hic corporis totius extensionem sequitur et formam: ita ut ubi omnia tolli organa possent, hic tamen per se posset consistere, et constitueret corporis figuram innumerasque pro variis organis cavitates praebeus. Altera vero pars suum cuique organo involucrum suppeditat, et cujusque insuper crassitudinem permeat; id quod duplicem hanc jussit divisionem. Qui textus cellularis organorum conponit involucrum, a *Bordeu* atmospherae ad instar fuit habitus, quae eorumdem actiones separat et propagationem ipsorum arceat. Quam licet ideam et *Bichat* sit amplexus, aliis tamen non ita solidae innixa basi videtur.

Per peculiares vero modificationes, mollis in pulmonibus redditur, durior in membranis serosis, durissimus in ossibus, elasticus magis in arteriis quam in venis, longioribus constat fibris et lamellis intra cutim et musculos, brevioribus ubi intestinorum

nectit tunicas, densior seu stipatus in tunica arteriarum propria, laxus, amplus in pulmonibus. Textus cellularis naturam possidet penetrabilem, et cellulae quae fibrarum et lamellarum intervallis efficiuntur inter se ubique communicant, unde aër et aquosae solutiones ad remotas partes corporis simul ac corpora peregrina solida commigrare possunt.

Et revera aër sub cutem introductus, sive consulto id factum fuerit, sive infelici casu, totam superficiem corporis animalis idem celeriter perambulabit, totamque undique a musculis cutem divellet et distendet. Neque ibi moram faciet aër sed musculorum intervalla subibit, et fraudolente torosam animalis speciem repraesentabit, quae, aëre a vaporibus continuo sub cutem exhalatis inquinato et elastica vi ejus detracta post aliquot dies subsidebit. Quod et communis Lanionum consuetudo affirmat, qui ut integram subjectis e partibus cutim divellant, per apertum consulto foramen soleut aëra inflare, ex quo diffuso cutim inter et supposita tollatur adhaesio. Talimodo ii sibi consulunt qui animantia tumescunt, quorum ex venditione majus se habituros lucrum confidunt, inconsulti emptoris oculos ita fallentes; sunt equidem qui veram per hanc inflationem obesitatem obtineri scripserunt, sed res adhuc dubia est. Eodem artificio, sed innocentori, *Ruischius* foetus siccatos ne monstruosa facie displicerent, impulso sub cutem aëre, in teretem speciem restituere solebat, quamobrem *Fontenelle* dixit » Les Momies de Ruysch prolongeoient en quelque sorte la vie, au lieu que celle de l' ancienne Egypte ne prolongeoient que la mort ».

Idque hic juvabit referre: *Ambrosii Parei* tempore quemdam egenum, quo pietatem cieret, et graves aëre manus sibi rediret, omnibus naturae vocibus compressis, aëra hoc pacto sub nati cutem immisisse, id quod informi tumescentia assequebatur; fraude vero cognita scelestus ille meritas dedit poenas. Et illud misero cuidam homini contigit, ut fures in expilati corpus aëra vi injicerent infanda ducti lubidine, ut utris adinstar tumescenti irriderent, qui postea derelictus, cum viam sibi aër ipse in collo reclusisset, felici fato evasit. Fuere, et qui vel ut stipendia extorquerent, vel ut populi pietatem moverent, quo carceris sibi poena leniretur in textum cellularem colli, faciei, genarum, abdominis, inque testiculorum involucra variabilem aëris quantitatem immiserunt, hasque infiltrationes gasosas obtulere quasi veteres affectiones, congenitasve infirmitates. *Fabricius Hildanus*, *Dionis Sauvages* plura hujuscemodi memoriae tradidere. Refert *Plinius* taxos semet inflandi, teretemque ita corpori suo formam dandi virtute esse praeditos.

Ita etiam per cellulosa spatia fiunt mirae illae migrationes aquae, puris, telorum, aliorumve corporum, quae per vulnera in corporis humani partem aliquam introducta, per alienissimam aliam exeunt aut saltem excidenda se praebent. In hujus porro textus intervallis continua habetur secretio, exhalatio ita dicta vaporis cujusdam, qui nisi eodem pacto absorberetur, in serum transiret; adeps etiam hisce magis quam illis in partibus sanguineis hujus textus vasis digeritur, ita copiosior renibus, subcutaneo paniculo etc. Hujusque adipis varia est utilitas; tue-

tur organa a violentiis externis, fovet corporis calorem, circumfusa musculis majorem mobilitatem illis conciliat, deficiente materie nutrititia, nutriens substantia fit. Atque ut nonnulla de illius physico-vitalibus viribus proferam, extensibilitate, contractibilitate, sensibilitate magnaque semet restaurandi vi pollet.

Quoad extensibilitatem, qua omnes externi interni que motus perficiuntur, non eadem est ubicumque, sed pro variis partibus, varia; sic in stratis quae membranis mucosis vasorumque subsunt peripheriae, admodum hebes, apertior in vasorum partibus quae serosas confirmant membranas, quaeve musculorum harumque fibrarum occupant intervalla, apertissima tandem est sub cute, et in quibusdam maxime corporis partibus, utpote scroto et axillis.

Contractilitas huic omnino adversa proprietas est admodum manifesta. Post partum ventris cutim et genitalia contrahi novimus, primamque pene formam acquirere: sic cutis et textus alii in semetipsos redire videmus post evacuationem alicujus humoris, uti in hydrope etc. quodsi varias animadvertimus vitae tempestates, hunc textum quas induit, vel tegit partium augmentum sequi, aut defectum, rite perspicimus. Quisque probe novit, vel frigoris impressionem scroto apertissime contrahendo sufficere, quem vero prout acuitur, passim e contractione ad relaxationem transire, hujusmodi sane contractio cum musculorum contractione haud est comparanda; hujus tamen primus est gradus ejusdemque naturae est, quin immo media interest illam inter et tenuissimas quae pene percipi possunt oscillationes, quas alii organicae insensibilis contractilitatis aut tonicitatis nomine designant.

Hujus textus sensibilitas valetudine firma vix percipitur, nullum porro doloris signum prodit animal sive textus male se habeat, sive etiam secetur, vixeque irritari videbis dum rara illius filamenta nervosa secueris: magna nihilo secius pollet irritabilitate; ocyus enim quaecumque sibi admoveantur substantias absorbet. Atque hic advertendum, non per omnes illum eodem pacto substantias moveri: animantium fluida quaedam, sanguis nempe, lac ac lympha injecta, vel permeantia minime ipsum exagitant; dum e contra ab urina admota, vel bile aliisve fluidis ipsius motus adeo cietur, ut saepe horum admotionem inflammatio subsequatur, quin absorptio determinetur. Quisque (ut exemplum proferam) in hydrocelis operatione abscessum observare poterit ad scrotum, qui saepe fortuitum transitum injectionis in textum insequitur, quique transitus aberranti adscribitur canulae troiquart. In viva animantia tentamina adamussim factis respondent: et caetera irritàntia fluida eosdem pariunt effectus. Huic poene uni vitalis inesse turgor videtur, atque hanc nobis sententiam rite suadent phlegmonosae inflammationes, quae hoc sane in textu sedem tenent.

Quam potentissima adest hoc in textu reproducendi facultas, quomodocumque vel sectus ille fuerit, vel divisus, tamen facillime reparatur; quin immo haec facultas prae caeteris huic inesse videtur systemati, et caeterorum persaepe implere jacturas.

Hic porro textum cellularem vita carentem, vel ab organismo secretum nobis intueri videtur: Vi aëris subjectus continuo exiccatur, ast album servat colorem, aut ad summum subcinereo leviter tingitur.

Ejus cellulae alteri altera innituntur, atque hinc efficitur corpus quod ex serosae exiccatione membranae obtinetur: mollitiem et flexibilitatem retinet, sed sua illi figura, suaeque cellulae reddi vix possunt, quod aqua immergentes assequimur. Diu resistit putredini, nec quid ei detrimenti fert maceratio; protracta ebullitione evanescit, ac gelatinosa pars ejus disolvitur, quae albumine exigua cum quantitate unita eum fere omnino videtur componere. Difficilius sane alborum caeterorum organorum perfecta haberi potest solutio, utpote aponevrosium, tendinum et ligamentorum. Idque ex eo proficiscitur, quod digestivorum actioni organorum ille resistit; quod per tentamina in semetipso peracta, meridiana clarius luce *Bichat* ostendit.

Quoad porro usus in animali oeconomia, magnam exercet vim mollities ejus atque flexilitas, varios enim quae circumit, organorum expedit motus, haec ab aliis certa lege decernit, atque undique obducit, intervalla adimplet, et teretum quae organica ab inorganicis entia distinguunt formarum speciem effingit; cumque omnibus ille adsit in partibus, pro basi aliorum organorum haberi potest; omnibusque vitae tempestatibus et textibus quidem in cunctis suas eum portendere vires percipimus.

Alterum officium hujus telae est omnibus partibus corporis animalis suam ad sapientissimos fines definitam firmitatem impertire. Ea enim tela remota, nervi, musculi, vasa, membranae vacillant undique, et neque suis liquoribus perinde resistunt, neque debito cum robore a vi musculari reguntur, neque sedem suam porro retinent. Sola tela cellulosa remota, quae arterias venasque externe obvolvit, aneurysmata,

et varices nascuntur, et arte parari etiam per nostra experimenta possunt.

Perspiratoria illius secretione aut exhalatione perpensa, eum nonnulli habuere intermedium arteriosas inter extremitates, ac principium vasorum absorbens. *Prochaska* insuper sibi suasit et praecipuum nutritionis organon esse: nutritiva substantia in illum immissa roris adinstar, variis tunc organis assimilatur: sed nemo non videt hanc esse hypothesim tantum; quod et de electricorum fluentium ambitu, quibus illum permeari dixere, deque aliis multis quae brevitatis causa praetereo, posset eodem jure proferri.

Hic ut de textus cellularis affectionibus nonnulla proferamus, vestigiis nobis in Pathologia ab eximio prof. *Hartmann* signata sectantes, dicemus, lentum, qui cellulari textu peragitur, motum communibus vitae legibus ac conditionibus subesse, quare et ipse suam adversorum ex principiorum conflictu originem ducit. Horum mutua actionis, atque reactionis relatio definit modum, quo cellularis motus exeritur, ut qui stimulis relativum ejusdem aequilibrium ad quoddam temporis intervallum tollentibus excitatur. Enim vero cum hujusmodi motus, modo ultra legem augeri modo possit et minui, hypersthenicum statum induet exuberans, asthenicum deficiens, tum porro pro vario suo statu et organa afficiet, suaque illis vitia committet. Hinc absorptione citra vel ultra leges commota, et humorum per vasa lymphatica, per venas, aliosve canales, progressus invalescat necesse est; hinc

e nimia contractili vi, organorum compressio exurget et rigor, vasorumque angustia, et ad spasmos dispositio, etc. Hanc hebescentem iis contraria omnino vitia subsequentur, partium nempe relaxatio, cavitatum atque alveorum dilatatio, languor in absorptione, humorum ad vasa condensatio, stagnatio, etc. Ita per summa capita, modis indigitatis, quibus cellularis textus sua potest a lege removeri, nonnulla de morbis proferam, qui hunc potissimum afficiunt, diversa eodem tempore loca designans, in quibus maxime insaeviunt. Sic in textu cellulari subcutaneo et intermusculari aëris permeatio, emphisema, vel serositatis percipitur collectio oedema efficiens, anasarca, puris, urinae, foecaliumve materierum stagnatio; cujuslibet harum praesentia phlegmonem parit, quae et alia quavis causa irritante excitari potest, quaeque ex communioribus morbis est phlegmassiarum omnium perspectissima, pro inflammationis typo habita ab eo, qui huic morbo operam dedit. Subcutaneus in neonatis durescit, idemque elephantiasi sedem praebet; ita magna aëris serive permeatio in submucoso cellulari textu invenitur, nec unquam fluida in eo repetisse *Bichat* testatur; rariusve sane quam in subcutaneo textu cellulari exoritur phlegmone, idque vel a texturae ac vitalitatis discrimine videtur dependere, vel ex eo potius quod irritantium actioni causarum magis sit obnoxius. Idem de subseroso dixeris, qui salutarem oppositionem purulentis videtur objicere effluviis, quae e serosarum membranarum cavitatibus viam sibi aperire contendunt, durescens aut densior evadens; arterias circumcirca cellularis adest textus, serositate gravidus nunquam, quique puris actioni renititur, adeo ut vastos inter abscessus,

vel gangrenosa etiam ulcera, integras tamen decernas arterias. Non adeo firmum venarum textus vim objicit, idque ex atri sanguinis patet haemorrhagiis, quae affectas humectant peripherias. Hujus affectio textus est nimia adipis generalis aut localis congestio, obesitas dicta; quae sensim forsitan omnem fibrosum textum pervadens in adipis congeriem convertit. Atque hoc in textu, dum resorptio peccat, morbosae evolvuntur durities, quae in scirrhum postea transeunt, idque longa maceratione perspectum est, has praecipue a cellulari textu constitutas esse. In cicatricum formatione cellularis textus interdum divisionis locum exuperat consuetis cicatrisationis legibus renitens, quotiescumque vires ejus vitales fortuita causa exturbaverit: tum porro vastae exsurgunt vegetationes, quae saepe majorem textus quantitatem continent, quam partes unde initium coeperunt. Variae excretiones, fungosarum nomine carnium donatae, nil aliud revera sunt, quam hujus augmenti sectaria, quo cellulare systema communibus cicatricum finibus effluit: sic cicatrices nequeunt formari, donec anomalae hae prodeant productiones, hisque tantum repressis illae invalescunt. Diversis porro in tumoribus haec potissimum evolutio videtur textus cellulosi. Iste omnibus cistibus, fungis aliisque productionibus, quae saepe inveniuntur in organismo, praecipue membranis mucosis basim praebet omnibusque postremum nutritionis luxuriis. Ea porro parte surgit et crescit, qua tumor exoritur, et diversis inde externis adcrescit substantiis, quae tumorum discrimina constituunt. Haec vitia nutritionis omnino respondent phaenomenis: omnia sane organa eadem basi va-

sculari et cellulari stituuntur, neque inter se nisi quoad substantias varias, in proprium parenchima congestas. Omnes eodem pacto tumores sunt cellulosi; hic communis eorum character: peculiarem vero ex substantiis induunt, quam ipsi tumores continent.

Omnes reapse tumores perscrutati in musculis, tendinibus, cartilaginibus etc. nunquam inveniemus expansionem tendinosam aut fibrarum cartilagineae substantiae, sed tantum cellularis textus in tumorem extenditur. Sic et fibrae ossium, musculorum, substantiarum fibrosarum in continuitatis solutionibus divisae non ultra vulneris margines protenduntur, id quod cellularis efficit textus in carneorum globulorum evolutione. Tumores, de quibus hucusque diximus, nil communis habent, uti nonnulli arbitrantur, cum tumefactionibus acutis, quae phlegmonem constituunt, neque iis cum stasibus, quas membranae patiuntur violenta ex irritatione, ut fractura, complicata luxatione, digitorum extremarum nervosarum papillarum inflammatione, venenosique morsu animantis: quae stasis plerumque omnem circa peripheriam vehementer affectam evolvitur, et saepe subito effunditur: at vero non est reapse inflammata, tensionem licet et dolorem exhibeat etc., indeque tumoris solius potius nomen quam stasis meretur. Hi tumores, haudquaquam sunt confundendi cum chronicis quibusdam gurgitibus, in quibus quin crescat et vegetet textus cellularis, alias pervadit, aliisque immiscetur substantiis, quae suam mutant naturam, cujusmodi forent, qui in articulationum morbis subrepiunt, fistularum callositates, materies lardaceae, quae aliquibus in tumoribus repe-

riuntur, etc. Hic neque vegetatio, neque augmentum habetur utpote in polypo aut fungo.

Pathologicae hujus textus cellularis parti finem dabimus, ejusdem cum systematibus sympathias indigitantes. Hujus aliis cum organis relationes plurimae et multiplices sunt: at non ita planum est saepe eas distincte discernere. Cum ille per omnia sit organa diffusus omniumque ad structuram concurrat, saepe vix potest secerni, quid ad illum, quidve ad proximas partes attineat. Apertae porro pluribus in circumstantiis fiunt hae relationes, tum in acutis, cum in chronicis affectionibus. Interim hic textus cellularis organorum in morbis maxime afflictatur. In morbis acutis, qui speciale aliquod organum fatigant, stomachum, intestina, saepe et cellularis textus simpathice laeditur; tunc sedes inflammationis et suppurationis locus evadit. Pleraeque colluvierum criticarum ab hac relatione dependent, quae licet non admodum perspecta, organum inter tamen affectum et cellularem existit textum. Hic praecipuorum organorum hoc in systema influxus in chronicis affectionibus fit apertissimus, nec non in perturbationibus, quas ipse textus inde experitur. Quisque probe novit, lentos plerosque morbos cordis, lienis, stomachi, jecoris, uteri etc., in extremis periodis symptomata exhibere leucophlegmatiae plusve minusve diffusae, quam non aliunde quam a cellularis textus infirmitate repetere licet. Acutis in omnibus morbis quam facillime cutim adfici observamus, eadem periodo, die saepe eodem arere, ac madere alternatim. Quod si quae intus fiunt, possemus inspicere, easdem et textum pati perturbationes reperiremus, ejusque cellulas modo tumentes,

arentes modo, pro influxus gradu, quo afficitur. Ast si aliorum organorum sentit influxum, et ipse alia in organa influit. In phlegmone, qui inflammationis hujus systematis summus est gradus, si non ita levis est tumor, variae saepe prodeunt perturbationes in cerebro, cordis, jecoris stomachi etc. functionibus. Sympathicus vomitus, metastases cerebrales etc., sunt phaenomena quae in magnis emergunt phlegmonibus, quin saepe ad eundem morbum pertineant.

Quibus perspectis descendit conclusio, firmi organismi textum cellularem plerisque prodesse functionibus, atque praecipuis ejusdem affectionum fontibus esse adnumerandum.

FINIS.



THESES DEFENDENDAE.

I.

Textum cellularem minutissimo rete vasorum sanguineorum compositum esse censemus.

II.

Status imponderabilium mutatus essentiam morbi nunquam constituit.

III.

Vitae nimia mollities quammaxime infensa est.

IV.

Irritatio tantum gradu ab inflammatione differt.

V.

Maternus lactatus absque necessitate negatus matri infantique est damnosus.

VI.

Homo prius Medicina quam legibus egebat.

VII.

Erysipelas ab exterioribus ad interiora conversum mali est ominis, ab interioribus autem ad exteriora bonum.

VIII.

A singultu hominem correptum sternutatio superveniens liberat.

IX.

In conceptionis phoenomenis parum immaginationi tribuendum.